

cantur, quandoque necessitas urget, ut Candelabra Altarium in usu veniant: Sed hoc semper est contra Ritus, nec tolerari debet. Quod de Candelabris dico, intelligatur etiam de Palliis, Vasis, Tobaleis, etc. quae Altari inserviunt. Nec obstat, quod in funeribus Episcoporum, seu Cardinalium, circa corpus eorum videantur strata Pastoralia, Mitre, Planete, atque alia insignia, quia haec non ad inserviendum Feretro ibi parantur, sed ad dignitatem defuncti demonstrandam, tamquam spolia ipsius.

§. VII. Cum autem antiquissimi Ritus sit Ecclesiastici Cereos accensos, in exequiis, et funeribus deferre, caveant item, ne hujusmodi ritus omittatur, ac ne quid avarae, aut indigne in eo committatur.

63 64 In Exequiis, seu funeribus omitti non debet honestus modus, qui semper servandus est Pignatell. *l. c. num. 2.* Hic honestus modus est, ut adhibeantur in funere, seu Exequiis, Cerei accensi; semper enim, aiebat Div. Clemens in *Const. Apost.* apud veteres Christianos, injuria mortuis tribui videbatur, si absque Clericis, Psalmis, ac luminibus debitis sepelirentur. Isti Cerei accenduntur non ex superstitione, ut effuntiant nonnulli haeretici apud *Aen. Sylv. de Orig. Bobem. c. 35.* sed ad significandum Animas vivere, et Defunctorum corpora resurrectura. Vide multis hujus rei causas apud Rutil. Benzon. *epist. Lauretn. in specul. Episc. et Curat. l. I. disp. 2. q. 2.* apud Pignatell. *ibid. n. 16.*

65 66 Ne appareat ulla Avaritia nota apud Parochos et Sacerdotes, seu Clericos Exequiis, et funeribus interessentes, nulla esse debet querimonia de Taxa funerum exigua, neque de pondere, et mensura Candelarum, quarum cura unice apud Haeredes defuncti esse debet.

67 68 69 Circa numerum vero earum, standum est consuetudini, seu praescriptioni Taxae constitutae ab Ordinario. De earum aequalitate, vide Pignatell. *T. 3. cons. 48. n. 9. et 13.* Sed circa distributionem seu compartitionem, dico Intortitia, Cereos, et Candelas, quae per viam deferuntur circa Cadavera, in quibuscumque privatis Ecclesiis, dividendas esse pro aequali portione inter ipsos Parochos, et ministros aliarum Ecclesiarum quarumcumque etiam Regularium, in quibus sepeliuntur. Ac propterea quando hujusmodi Intortitia, seu Cerei, et Candelae in praefatis Ecclesiis, pro celebrandis Divinis Officiis, praesente corpore, accenduntur, finito officio extinguendae, et cuicumque medietas assignanda est, ut per Sel. in *Se-*

lec. Canon. c. 92. n. 15. ubi refert decisum in *Cong. RR. DD. Praefectorum Urbis S. D. N. Urbano VIII. approbante sub die 21. Martii 1621.* ex Barbos. *Collect. in Concil. Trid. Sess. 25. c. 13. n. 9.* Non per hoc tamen danda est duplicata Candelae Superiori Religiosorum ex *Stat. Cler. c. 6. §. 14. in Addit.*

70 Hoc totum debet fieri juxta facultatem, et dignitatem Defuncti, a cujus haeredibus impensae regulantur, ut sequendo *Tex in l. si quis, §. sumptus, et l. Ac si quis §. Aequum autem, etc. de Reliq. et sumpt. sum.* uno ore affirmant ibidem. Repetentes ab Ursaya, *allegat. T. 3. p. 1. d. 12. nu. 43.* Neque id tantum ratione ipsorum haeredum, sed etiam de jure naturae, quod jubet defunctos funerari ex bono, et aequo; ita ut Judex de ea aequitate cognoscens, sumptum omnino non debeat admittere modice factum, si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modice factus sit, Alberic. de Rosat. *ad l. 2. ff. ad l. Fulcid. n. 3.* Florian. a S. Petro. *in d. l. si quis Sepulchrum, §. funus, et sumptus funeris,* et quamvis aliqui id non servaverint, inquit Pignatell. *l. c. nu. 13.* non ideo potest concludi consuetudo contraria, sed potius violatio legis, quia praedicti actus non observantiae, etiam si essent majoris partis, non sunt actus inconcussi, sed interrupti per sententias in contrarium, quae destruunt consuetudinem, et tanquam actus contrarii, non sinunt illam vivere, ac vigere, ad tradit. Per Bartol. *in l. semper in stipulat, in fin. ff. de Reg. Jur. Surd. Cons. 393. n. 23.* et Rota coram Merlin. *dec. 544. n. 3.*

71 72 73 74 Verba Textus, *Ne quid indigne in eo committatur,* intelligenda sunt hoc pacto: Ne acceptas candelas inaccensas reponas, et alias jam pene consumptas adhibeas: haec enim magnae avaritiae nota est, et a Persona Ecclesiastica penitus eliminanda. Caeterum juxta Regulam praescriptam a Carolo Musart. *in Manual. Paroch. p. 2. cap. 6. nu. 5.* unusquisque se gerere deberet. *Rogatus mortuum, nulla pretii mentione facta, absque molestia, aut tergiversatione sepelies: Si ii qui sumptus facere debent, id quod consuetudine, vel statuto Episcopi justum est, non offerant, exigere poteris post aliquos dies funeris: si negent, experire omnem aliam viam: si neque sic, age jure coram tribunali Ordinarii.* Quidquid enim in Dei cultum, quidquid in ministrorum Christi sustentationem cedit, non est dicendum ex Sacerdotum avaritia manare: qui enim Altare servit, de Altari vivere debet *c. cum secundum de praebend.* apud Lavor. *d. n. 5.* Nisi defuncti adeo pauperes sint, ut iniquum videatur aliquid sperare, prout dicemus propinqui in sequenti.

Possunt etiam interpretari verba illa, *ne quid indigne in eo committatur etc.* respectu defuncti, et haeredum illius; quando e. g. Defunctus Testamento suo, seu aliter mandaverit corpus suum minime honorifice sepeliri, prout decet. Propterea huic

mandato obediendum non esse docet Samuel. *de Sepult. Tract. I. concl. 8. n. 11.* cum multis D. D. ab eo allegatis; talis enim voluntas non est recta, sed inepta circa funus, et idecirco non est observanda omnino: nam funeris sumptus arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti. *L. siqui §. sumptus de re leg. et sumpt.* Et licet istae expensae potius moderari debeant, quam ultra vires extendi Alberic. *l. nec amplius ff. ad l. falcidiam.* Attamen ista moderatio non debet esse tam vilis, et sordida, ut nihil de dignitate, sive de facultatibus defuncti appareat, prout esset si more pauperrimarum Personarum, exigua, vel nulla associatione, vel unico lumine, vel quod sordidius est unica laterna, in Caemeterio, ubi Pauperes tantum conduntur, sepelire, non in Ecclesia mandaveris qui in magno honore ob dignitatem habitus esset, vel qui facultates haberet ducendi funus solemne. In hoc, et in similibus casibus voluntas Testatoris rejicitur *l. at si quis §. quod ergo. ff. de relig. et sump. funer.* apud Samuel. *Tract. 1. Concl. 9. n. 13.* Hoc vere esset *indigne* aliquid committere, et tanta humilitate Parocho praejudicium inferre.

§. VIII. Pauperes vero, quibus mortuis, nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.

75 76 77 De Privilegiis Pauperum, et miserabilium Personarum, egregie scripserunt Lancellotus, et Velasquez. Postremus vero circa funera, fusius hanc materiam pertractabit *p. 1. q. 4. n. 78.* Circa quam advertere debent Parochi, et Sacerdotes quibus commissa est cura sepeliendi defunctos, non debere ipsos esse Judices, an Paupertas sit extrema, vel non: adeo ut qui remanent post defunctorum, non valeant erogare quae necessaria sunt ad funus, nisi omnino spolientur rebus victui, et vestitui necessariis. In hoc casu esset addere afflictionem afflicto, quod non licere docuit superallegatus Velasquez *d. p. 1. q. 117. n. 40.* Sed nec Judex arbitrari potes ubi lex miserabilem personam designat: *Ex text. in leg. unic. C. quando Imperator. inter pupill. et vid.* eo magis, quia in Parochis plusquam in aliis elucere debent misericordiae Opera, *Latusc. Theatr. Reg. verb. exeq. n. 8.*

78 79 De jure autem est, quod Parochus tenetur sepelire suos mortuos, et gratis ubi ita sit consuetum, ut inhaerendo

Rituali nostro resolutum fuit a *S. R. C. in Caffamen. 5. Maji 1617.* quam Resolutionem referunt, et sequuntur Passerin, *de stat. Hom. q. 107. art. 4. inspect. 3. nu. 166.* Abb. Justinian. *in. Addit. ad Novar. in summ. Bullar. s. 12. a Mostaz. de caus. Ppis. l. 6. cap. 3. sub n. 46.* at posse recipere solitum dari, ubi est laudabilis consuetudo aliquid tribuendi pro funere, petendo consuetam largitionem post mortuum a se libere sepultum. Ita Possevin *c. 14. n. 1. et 2. Machado Perf. confess. l. 4. p. 2. tr. 3. doc. 24. n. 2.* Barbosa *p. 3. cap. 26. n. 37.* Qua propter puniendus qui sepulturam denegaret Pauperi, eo quia non habeat unde solvat pro cereis, et pro associatione. Sepultura enim nemini est deneganda. Covar. *l. 2. var. resol. cap. 1. nu. 10.* Bellet. *disq. Cleric. p. 1. de Clerico debitore, §. st. nu. 34.* Item si sine lumine, et debitis exequis id faceret, sed tantum permetteret Cadaver in fossa humari: turpe enim est, neque satis Christianum Pauperes mortuos qui Thesaurum Christi sunt. Tiraquell. *in tract. piae causae in praefat. vers. item, etc.* nullo ritu sacro duci, aut projici in locum non sacrum, repugnat praecepto nostri Textus, Musart. *d. p. 2. c. 6. n. 5.* ubi dicit profecto offendi nonnullos, cum vident Pauperis nullo ritu efferri, et temere abjici, vel sordide conquiri pro funere eleemosynas; et docet, quod in tali casu adesse debet saltem unus Sacerdos, qui brevi prece, leviter humo cadaver tegat, ne insepultum obdormiat.

80 81 Quae hic posset, an cadaver debitoris (qui si aere alieno gravatus sit, certe pro Paupere haberi debet, Benincasa *Tract. de Paupertate, q. 7. special. 8. nu. 24.* Altograd. *cons. 42. n. 1. l. 1.*) debeat insepultum teneri pro debiti solutione, seu donec solvatur debitum: et negative resolvit Covarruvias *l. c. Bellet. p. 1. §. 3. nu. 34.* qui addit *n. 38* impediendam humationem defuncti ob ejus debita, puniendum esse, *l. fin. et ibi authen. C. de sepulch. violat. Boer. decis. 87. n. 2.* Sepultura enim mortuorum nullo praetextu retardari, aut impediri debet, etiam compositionis, aut Quartae funeralis causa, ut resolvit *S. R. C. in una Cassanen. 5. Maji. 1617. et in altera Crotonien.* ut refert Barbosa *d. c. 26. n. 55.* nec non in una *Navarrien. Funerum 15. Martii 1701.* allegat. ab Ursaya *T. 4. p. 2. d. n. 152.* cum nulla ratio id partiatur, Christianaeque pietati repugnans videatur, maxime vero pro pecuniarum interesse, cadaver humanum insepultum remanere.

82 83 Non debent itaque gravari Parochi, et Sacerdotes in sepeliendis Pauperibus gratis omnino, imo id persuadere edebent etiam Libitinariis, et quibuscumque illis, qui in sepeliendis cadaveribus operam praestant, seu pro sono campanarum, seu pro feretri delatione, seu pro aperienda, et claudenda sepultura, seu demum pro effodienda fovea, vel deferendo cadavere: imo ipsemet, exemplo charitatis, praecedere debet, et ex-

citare alios, praestando cereos, et quaecumque sint ad hoc necessaria. Hoc enim est vere opus Misericordiae, passim in Sacra Scriptura fidelibus a Deo commendatum; reputaturque eleemosyna, *Lavor. d. tit. 2. c. 14. n. 6.* necnon opus justitiae, quod in extremo Judicio Christus (*Matt. 25.*) agnosceret, et approbabit, propter quod Regnum promissum decernet, justitiaeque coronam reddet misericordibus, Mercator. *Nucl. Cateches. lect. 116. p. 478.*

84 Si in Ecclesia illa Parochiali, vel in vicinatu adesset pia Confraternitas, non tantum ad hoc opus sepeliendi mortuo instituta, sed sub quovis alio titulo, hoc praestare deberet. Quicumque enim Confratres, qui Saccum induunt, poenitentiae, et misericordiae vestem gerunt. *Philippin. Filiat. spir. c. 22.* unde erubescere non debent in hoc tam pio opere gratis ubique exercendo, S. Gregor. *Ser. 1. de consol. mortuor. Barbos. p. 3. c. 26, n. 4.*

§. IX. Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeteriis, retineatur, et ubi fieri potest restituatur: at vero cui locus sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur. Cadavera autem prope Altaria non sepe-
liantur.

85 86 87 88 Antiquitus per legem XII. Tabularum, cautum fuit, ne cadavera intra Urbes sepelirentur, *J. Cons. in l. 3. §. Divus. ff. de sepulchro violato, et in l. mortuorum, C. d. relig. atq. sumpt. funer.* Item de jure antiquo prohibitum erat, ut in Ecclesia ullatenus humana corpora conderentur: ideo Christianorum Coemeteria, primitus extra Urbem fuisse notat Samuel. *d. sep. Tr. 1. contr. 2. concl. 1.* Deinde post datam pacem, intra Urbes extitisse, ut de corpore Constantini Magni, et Honorii Imperatorum constat *l. 2, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Ista Coemeteria erant a Templis distincta, ut *c. 1. de consecr. Eccl. c. si civitas, de sent. excom.* et adhuc talia sunt in quacumque Ecclesia praesertim Parochiali.

89 90 Istud nomen *Caemeterium*, diversimode quoad ejus originem interpretatur. Vide supra citatum Samuel. *concl. 9.* et Macri in *Hierolea.* Ego puto, licet singulari opinione, quod deducatur a *Caemento, et Terra*, quia ex lapidibus rudibus, superimposita terra, componebantur sepulchra, ut videre est apud Kirkmann, et Girald. *de sepulturis, seu vario sepeliendi ritu.* Sed ut istas eruditiones relinquamus, quae praecipue, et praecise leguntur in dicto opere Francisci Mariae Samueli, ad nostrum Rituale me conferam.

91 92 Antiqua consuetudo erat igitur sepeliendi Cadavera Fidelium in Coemeteriis, non vero in Ecclesiis. Ista Coemeteria nimis late interpretata fuere, dum *Rota in Calaguritana de Amurio 12. Decembris 1603. coram Ludovisio*, dixit prohibitionem juris antiqui de non sepeliendis cadaveribus in Ecclesia, provenientem ex Concilio Verensi, Bracarensi, et Moguntino allegat. a Samuel. *d. Con. 4.* procedere tantum in Capella majori Ecclesiae. Ratio potissima hujus prohibitionis esse poterat, primo quia sepulchra jam fabrefacta non erant, ad ibi condenda Cadavera, nec ibi conveniens erat ita frequenter, prout occurrere poterat. Pavimenta Ecclesiarum, quae antiquitus ex novillimo opere, et praesertim Musivo erant, deturpare, et deformare in effodiendis sepulchris. Secundo quia Cadaverum putredo semper cum foetore est, et dedecet in illo Sacro loco, venerando thimiamate saepissime perfuso, et munditiam redolente, graveolentia corpora condere; unde etiam ratio haec vocatur civilis a Lavorio *d. T. 2. c. 5. n. 90.* ne aer putrefieret, ut locus corrumpere foetore Cadaverum.

Tertio demum, quia a frequenti cadaverum humatione, tam foetor, quam humiditas provenire solet, et ita non omnino sanum habitaculum deveniret, prout evidenter hodie quoque dignoscitur in Ecclesiis praesertim Parochialibus, in quibus frequenter sepeliuntur cadavera. Proh, bone Deus! quam differunt ab illis Ecclesiis, in quibus nulla sepulchra effodiuntur!

Alteram rationem affert Samuel *dict. concl. 6*, et est moralis: nempe quia Ecclesia est specialiter Deo dicata, cui mors ultra non dominabitur, et quoniam non decet Defunctorum corpora tumulari, ubi quotidie divina celebrantur officia, ac Deus colitur, et veneratur, *c. nullus. 13. q. 2. c. praecipiens.*

93 Ad hanc munditiam igitur rationem habuit Rubrica nostra, et quantum in se est, studuit, ut iste laudabilis modus sepeliendi Cadavera tantummodo in Coemeteriis restitueretur, exemplo magni Ephraem Syri, qui testamento cavit de sua sepultura hoc pacto: *Ne sinatis me in Domo Dei poni, aut sub Altari: non enim decet Vermen putredine scatentem in Sanctuario Domini reponi. S. Ephr. Test.*

94 95 96 Tractu temporis autem concessum fuit aliquibus Personis dignis, ac praestantissimis, quae pietatis laude, ac gestarum rerum magnitudine celebriores fuere, aliquando, ut in Ecclesiis sepelirentur, *c. nullus 13. q. 2.* ut de nonnullis SS. Pontificibus, imperatoribus, Episcopis, et aliis personis Ecclesiasticis legitur, *Conc. Tribur. c. 17. Evagr. l. 4. c. 3. et 80.* Successivis temporibus ampliata est ista tolerantia, et indultum omnibus Christi fidelibus, sive Ecclesiasticae, sive Laicae fuerint Personae, ut in Ecclesiis, si vellent, tumularentur, *Com.—P. 15.*



c. nullus 13. q. 2. ubi gloss. ver. *Fideles c. Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. et alibi plurimum*, ut notat Lavor. *dict. t. 2. c. 5. n. 117.* et ratio hujus permissionis ab eodem Lavorio ibi adducitur, nempe ut Propinqui, et Amici sepulturas inspicientes in Ecclesia, orent pro mortuis, et specialiter commendentur Sanctis, quibus Ecclesia dedicata est, *c. cum gravia* 13. q. 2. ubi gloss. et *Turrecrem.*

97 Sed ista ratio valet etiam si corpora sepeliantur in Coemeteriis, seu sepulturis Ecclesiae contiguis, quae Coemeteria appellantur, *ex Innocent. c. abolendae, de Sepult. et c. sicut.* 27. *quaest. 4.* et si Coemeterium permittatur aliquantulum ab Ecclesia remotum propter foetorem evitandum attamen semper, in adeundo Ecclesiam, inspicere potest, atque ita movere animum transeuntium, seu ad Ecclesiam pergentium, ut orent pro mortuis, et dicant: *Benedictio Domini super vos, etc.* quod inspectum fuit etiam apud Gentiles, qui prope viam condebant sepulchra in aegris infoecundis, ut viatores mortalitatis moneantur, ita tamen, ut viam ipsa sepulchra non impedirent, *l. 2. ff. de loc. puh. et itim.*

98 99 100 101 Crescente vero in dies Christianorum Religione, omnium fidelium cadavera in Ecclesiis humari permissum fuit, *c. ubicumque* 13. q. 2. *c. sicut antiquitus* 17. q. 4. et notat Lavor. *dict. tit. 2. c. 8. n. 2.* quod adeo abusus inolevit, non solum in Ecclesiis, sed etiam quodammodo super Altaria corpora ponerentur. In nonnullis antiquis Templis reperiuntur Tumuli, atque Urnae marmoreae super terram existentes, ad parietes elevatae, et etiam Altari contiguae, necnon superpositae loco Baldachini quibusdam Altaribus, adeo ut et Tempia magnopere impedirentur, et humanam superbiam ad sidera usque extollerent. Quapropter S. Pius V. in Constitutione, cum primum *Kalend. Aprilis* 1566. mandavit, ut defunctorum corpora super terram existentia, in Tumbis profundis, infra terram collocarentur, cujus constitutionis verba sunt, §. 6. *Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (Ordinarii) provideant ut Capsae omnes, et deposita, seu alia Cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit; et Defunctorum corpora in Tumbis profundis infra terram collocentur.* Quod servari volens in sua Dioecesi S. Carolus, Constitutionem similem gravissimis verbis humanam ambitionem detestantibus edidit in *Conc. Prov. 1. p. 2.* hujusmodi: *Non est ferenda nostri temporis insolentia sepulchrorum, in quibus putida cadavera, tanquam Sacrorum Corporum Reliquiae, excelso et ornato loco in Ecclesiis collocantur, circumque arma, et vexilla, trophaea, et alia victoriae signa, et monumenta suspenduntur, ut jam non Divina Tempia, sed Castra bellica esse videantur. Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogan-*

tiam detestantes, et Ecclesiarum decori consulentes, ejusmodi sepulchra excelso loco posita, et ea quae parietibus inclusa, vel adjuncta etiam in una parietum parte eminent, nisi marmorea, aut aerea sint, sive illis corpora contegantur, sive inania, et ibi tantum, honoris causa, sint constituta, et eorum omnis generis ornatum, et apparatus, ad tres menses amoveri, ac tolli omnino jubemus, ossaque ac cineris in sacro loco, altius in terram defodi, ita conditos, ut sepulchrum e solo non emineat.

Item novo Decreto idem Sanctus Antistes sancivit, in *Synodo Dioec. 4. decr. 37.* his verbis: *Arma, Vexilla, Trophea, aliaque Victoriae monumenta, sepulchra quamvis inania, in sublimi loco collocata, aut e parietibus prominentia, quae ab Ecclesiis amoveri, decreto provinciali jussimus, e Coemeteriis item, et Sacris aliis locis amoveantur. Nec vero iis ipsis locis imposterum exaedificentur, collocentur, assignantur, aut suspendantur.*

Pariter, *Actor. part. 4. in Instruct. ad funera deducenda,* subjungit: *Et si cui locus sepulturae deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, et sepulchrum, in quo conditur, opere fornicato, cum reliquo Ecclesiae pavimento aequatum sit, etc.*

102 103 Sed harum Constitutionum vigor, vel non fuit universalis, vel neglectus fuit, multa enim Tempia, et quidem insignia in Italia conspiciuntur, tum antiquis, tum novis Monumentis in sublimi loco collocatis, occupata, quae in dies novis et recentibus Cadaveribus implentur, quorum Monumentorum tolerantia fortasse provenit *ex Decreto S. C. Episc. emanato in una Mantuana* 13. *Octob. 1579.* allegata a Nicolio *flosce. verb. Sepultura, nu. 2.* in quo de Constitutione Sancti Pii V. superenunciata, verba faciens, dicit: *Non tamen comprehenduntur Monumenta Marmorea, muris, seu columnis adhaerentia, praesertim amotis Cadaveribus a locis altis, quia haec nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt Ecclesiis, ubi nota illud verbum Praesertim, per quod datur exceptio huic regulae, sed non per hoc tollitur omnino, quod non possint ibi collocari cadavera.*

104 105 Insuper prohibet Textus noster, ne prope Altaria construantur sepulchra, cum enim Altaria Domini deceat Sanctitudo, tolerari non debet, ut prope illa construantur Sepulchra in quibus foetentia cadavera humanae miseriae testimonia reponantur; et ubi quotidie incensa fumant, foetor intolerabilis exalet, atque ideo per *Canonem praecipendum* 13. q. 2. habemus, quod Parochi, et Regulares in suis Ecclesiis non possint corpora Defunctorum sepelire prope Altare, aut sub Altarium Bradellis. Ita etiam declaravit *S. Cong. Ep. et Reg. 8. Febr. 1594. 13. Septembr. 1593. 2. Maji. 1601. 10. Novembr.*

1599. allegat a Samuel. *d. Tr. 1. contr. 8. Concl. 3.* et si ibi sepulchra constructa reperiantur, sub illo Altari celebrari Missa non debet, sed interdici, donec corpora alio transferantur.

106 Quare distantiam hujusmodi sepulchrorum ab Altaribus, seu Bradellis, praescripsit S. Carolus, *Act. p. 2.* hoc Decreto: *Sepulchrorum ipsorum imposterum aedificandorum ostium, longe absit ab Altaris scabellis ligneis, vel bradella, cubitis ad minus tribus. Sepulchra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant* Barbos. *dict. p. 3. c. 26. num 9. et 10.*

107 Honor insuper Altaris tribui solet de consuetudine Ecclesiae solis Sanctis, quibus jam Ecclesia indulsit venerationem: ideo tumulari sub Altare esset quaedam declaratio Sanctitatis. In primitiva enim Ecclesia ad sepulchra Sanctorum praecipue Martyrum, et supra ossa eorum veneranda erigebantur Altaria, ut scilicet Sacrificium, quod offertur Deo redundaret etiam in ipsorum gloriam.

108 Eadem ratio est quoad Pedale, quia cum hujusmodi scabellum sit Altaris, est particeps honoris Altaris, Pignatell. *t. 4. cons. 32 per tot. Pasqualig. d. tit. 1. qu. 675. per tot.*

109 Sed non tantum prope Altare vetitum est construere Sepulchra, alter locus est, a quo prohibeantur; nempe Baptisteria. Decevit enim S. Carolus, *Prov. 6.* quod in Baptisterii sacello nullum Sepulchrum extrui liceat. Quod si Baptisterium extra sacellum aedificatum sit, prope illud Sepulchrum fieri non debet; sed tam longe, ut ab illius sepimento, sepulchrare os distet spatio cubitorum saltem trium, ac praeterea concavitas sepulturae, ne sepimentum attingat. In hac materia scripsit elucubratissimum Tractatum meus Bonaventura Angeli Ferrarini. inscriptum: *De non sepeliendis mortuis juxta Aram Templi*, ad quem Lectorem meum remitto si multa eruditione ditari cupiat.

§. X. Sepulchra Sacerdotum, et Clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris Laicorum separata sint, ac decentiori loco sita, atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae Ministris parata sint.

110 111 Hoc facile exequi potest in Ecclesiis Regularium, ubi solent esse multa sepulchra, et pariter diversi Ordinis Ministri. Intelligendam tamen credo hanc regulam, si loquamur de sepulchris constructis in Ecclesiis, non vero in coemeteriis, quia in istis, confusim sepeliuntur cujuscumque ordinis, et sexus defuncti, ut in praxi praecipue est apud spectatissimos

Monachos Carthusienses, qui in templis suis, generaliter loquendo, sepulchra constructa non habent, et tam Monachos suos sacerdotes, et laicos, quam Affines, Consanguineos, et benefactores utriusque sexus, in communi coemeterio sepeliunt, effossa fovea simili pro quocumque sepeliendo.

112 Nihilominus in Ecclesiis aliter faciendum videtur ad distinctionem Ordinum, et characteris. Si nequit habere Ecclesia duo sepulchra distincta, unum pro Clericis, alterum pro Sacerdotibus, saltem unum sit commune pro illis tantum, qui in characterere conveniunt: sed omnino pro Laicis Viris adsit aliud Sepulchrum, pro foeminis vero aliud, ex universalii praxi Catholicae Ecclesiae allegata ab Ursaya *T. 2. p. 2. disc. 30. n. 39.*

113 114 Quod dictum sit pro sepeliendi illis, qui sibi Sepulchrum non elegerunt, vel propriam sepulturam constructam non habent: quoniam in avitis, haereditariisque sepulchris, totam integram familiam sepelire mos est, nullo habito discrimine inter mares, et foeminas, vel inter Clericos, et Sacerdotes et Laicos, quia sepulchrum commune est.

Quod si haec Sepulchra pro Sacerdotibus, et Clericis haberi possint distincte, congruum videtur, ut etiam collocentur in decentiori, et noviliori loco, puta in Choro, in Presbyterio, alioque simili situ; Lavor. *d. t. 2. c. 11. n. 90.* quod tamen est contra antiquas constitutiones.

§. XI. Sacerdos, aut cujusvis ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus, usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, et casula, seu planeta violacea sit indutus.

116 117 118 Ex Amalario Diacono *de Eccles. Off. l. 4. c. 41.* iste ritus desumptus est. Ratio autem, cur hujusmodi vestimentis Sacerdotes, et Clerici induantur (de Regularibus, et praesertim Mendicantibus non est hic sermo) est quia Vestes tum Sacerdotales, tum Clericales, virtutes significant, cum quibus prae caeteris Ministri Altaris Deo sunt praesentandi, Lavor. *d. t. 2. c. 1. n. 105.* Ita legimus quod S. Petrus Martyr Alexandrinus, indutus vestibus Sacerdotalibus albi coloris, colobio, et omophorio triumphali pompa ad coemeterium delatus fuit, Baron *Ann. 310. n. 10.* Nonnullas rationes in contrarium